

rham in se consideratam non esse pretii partem, ostendit Cujac.  
in l. 35. pr. ff. de contrah. empt. de quo & in seqq.

## XXVI.

Alii dicunt, quod sit donativum a sposo & sponsa utrinque alteri datum in testimonium & quasi pignus factæ de futuris nuptijs inter eos sponsionis. Besold. in thesaur. pract. voc. Hassigeld. Mozz. tr. de contract. tit. de accidentalibus matrimonii. num. 1. Verum præterquam quod hæc descriptio non sit generis, sed tantum speciei, nimirum sponsalitiæ Arrhæ; etiam genus in illa possum. (quod tamen Cypræus quoque retinet, sponsalitiam Arrham per manusculum definiens. tr. de spons. c. 11. §. 3. num. 1.) præsertim secundum juris civilis dispositionem, non est conveniens huic rei; utpote, quæ non datur animo donandi, sed secuto matrimonio repetitur; de quo in sequentibus.

## XXVII.

Alii definiunt Arrham per vocabulum pignoris; alii quod sit res pignori data, qua quis certus redditur de re promissa vel fide data. Cypræ. tr. de spons. c. 11. §. 3. num. 2. ita ut Roder. Suares, tr. de lucr. marit. uxor. scribere non dubitet, Arrham de jure proprie dici pignus datum inter sponsos pro matrimonii securitate; aut, quod sit res, quæ datur quasi pro pignore servandi fidem, vel in pignus &c. Cardin. de Lugo. de Iust. & Iur. tom. 2. disp. 26. sect. 1. num. 10. Alvar. Valasus, decis. 2. numer. 1. Molin. de Iust. & Iur. disp. 431, n. 1. Christinæ vol. 3. decis. 127. n. 1. At vero licet Arrha interdum in jure & apud ejus interpretes pignus dicatur; proprie tamen pignus non est, sed ab eo maxime differt, de quo in seqq. In definitionibus autem, quantum fieri potest, verba proprie sunt accipienda.

## XXVIII.

Alii Arrham deliniant, quod sit res in signum & securitatem initæ conventionis data. Althus. lib. 1. Dicæolog. c. 66. n. 22. Sanchez. tract. de matrim. part. 1. disp. 35. n. 2. Alvar. Valasc. decis. Lusitan. 2. num. 1. Verum vocabulum securitatis, pignoris magis, quam Arrhæ naturam exprimit. Unde Bachovius, intr.